



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus VIII. vtrum in Christo fuerit prophetia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Disput. XXI.

ARTICVLVS VIII.

Utrum in Christo fuerit prophetia.

Sectio I.

81

A Ad secundum dicendum, quod fides est eorum, quae non videntur ab ipso credente, & similiter Spes est eorum, quae non habentur ab ipso sperante: sed prophetia est eorum, quae sunt procul à communi hominum sensu, cum quibus propheta conuersatur, & communicat in statu viae. Et ideo Fides & Spes repugnant perfectioni beatitudinis Christi: non autem prophetia.

Ad tertium dicendum; quod Angelus cum sit comprehensor, est supra Prophetam, qui est purus viator, non autem supra Christum, qui fuit simul viator & comprehensor.

Quod ad hunc articulum spectant, trademus in disputatione, quia in litera D. Thom. nihil occurrit. Notandum praeter ea, quae ibi dicuntur.

DISPUTATIO. XXI.

In duas sectiones distributa.

De gratijs gratis datis anima Christi.

Ratiae gratis datae dicuntur quaedam operationes, seu actus, qui supra naturam sunt, & diuina virtute sunt ad confirmationem fidei vel aliorum profectuum, potius quam ad operantis utilitatem: & ad has gratias pertinent omnia auxilia vel principia, quae ad haec opera perficienda ab Spiritu sancto tribuantur. Sunt autem haec gratiae nouae ex communi sententia doctorum fundatae in Paul. 1. Corinth. 12. ubi Chrysost. hom. 29. Occumen. Theop. 1. C. 7. 136. phylact. & alij Graeci, Ambros. D. Thom. Anselm. & alij expositores varijs modis illas exponunt. Idem D. Thom. 1. 2. quaest. 111. art. 4. & 2. 2. quaest. 171. & sequentes. 2. 2. cont. Gent. cap. 151. Et quantum praefati loco necessarium fuerit, eas expositiones breuiter attingemus. In his ergo gratijs duae, scilicet operatio virtutum, & gratia sanitatum ad operationem pertinent & ad potestatem faciendi miracula, de qua in quaest. 13. dicendum est, & ideo de illis ibi tractabitur. Aliae vero partim ad cognitionem, vt prophetia & discretio spirituum, & c. partim ad sermonem pertinent, vt donum linguarum, & c. de quibus breuiter dicendum est.

SECTIO I.

Utrum in Christo fuerit prophetia, & si quae alia gratia gratis data ad cognitionem spectat.

Prima sententia est Christum non habuisse verum donum prophetiae, sed vocari prophetam ex estimatione, & appellatione vulgi. Ita sentit Abulens. in cap. 11. Numer. quaest. 64. & potest fundari in illo. 1. ad Corinth. 13. Siue prophetia euacuabitur, siue lingua cessabit, & infra. Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, ex quo colligitur visionem beatam excludere prophetiam cognitionem, sed Christus habuit semper visionem beatam: ergo non fuit capax prophetiae. Et confirmatur primo, quia de ratione prophetiae est, vt sit obscura cognitio autore D. Thom. 2. 2. quaest. 174. artic. 2. ad 3. sed in Christo non habuit locum obscuritas, haec enim ratio non habuit fidem. Confirmatur secundum, quia nunc Christus non est propheta, neque habet prophetiam cognitionem, alias omnes beati possent esse prophetae: sed Christus nunc habet omnne genus cognitionis supernaturalis quod in via habuit, quia in hoc anima eius non est mutata. Denique argumentatur Abulensis, quia Ioannes Baptista fuit plusquam propheta, multo ergo magis Christus, qui est Deus. Et huic opinioni videtur fauere Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. num. 33. ubi inquit, Deum à principio praedixisse populo Israel, vt audiret Christum sub nomine Prophetae, quoniam propheta existimandus erat à populo, significat ergo non fuisse, sed

Infra q. 31.
art. 1. & 2.
2. q. 174.
art. 5. &
filat. 44.
2. 2. Et
Matth. 1.
col. 2. &
Ioan. 4. li.
6. col. fin. &
1. Cor. 15.
lib. 1. col. 1.
art. 3. &
4. huius
quaest.

2. 1. quaest.
174. art. 4.
Litt. 2.
art. 6.

Abulens.
1. Cor. 13.

D. Thom.

Tertul.

Sed existimatum fuisse Prophetam. Sed hanc sententiam existimo esse valde falsam.

Christus Dico ergo primo, Christum Dominum vere & proprie fuisse Prophetam, atque adeo veram ac propriam & omnino perfectam habuisse gratiam prophetiae. Probatur primo, quia ita appellatur in scriptura, quae proprie intelligenda est, cum commodè possit. Assumptum patet Deut. 18. Prophetam sicut me, &c. quem locum de Christo exposuit Petrus & Stephanus Act. 3. & 7. ut notarunt Iustin. Mart. quæst. 101. ad gentes, Irenæ. lib. 3. cap. 12. Clemens Alexand. libr. 1. pædagog. cap. 7. Cypr. libr. 1. contra Iudæos cap. 18. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 24. & lib. 3. cap. 9. Refert autem Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 7. Iudæos negasse locum illum esse de Messia intelligendum, ne convincerentur fateri, Christum esse Messiam promissum; Christum enim in ignem Prophetam fuisse negare non possunt. Unde in Evangelijs sæpe ita vocatur, tam à vulgaribus hominibus, Lucæ 7. Prophetam magnum surrexit in nobis, quam à discipulis, Lucæ 24. Fuit vir Prophetæ, &c. imò & à se ipso, qui Lucæ 4. de se dixit, Non est Prophetæ sine honore, nisi in patria sua, ut August. notavit tractat. 15. in Ioan. inde probans non male sensisse Samaritanam de Christo, cum ad illum dixit Ioan. 4. Domine ut video Prophetam es tu, in quibus locis ex contextu, & extrinsecus, de qua agitur constat aperte Prophetam dici non in alijs significationibus, quas hæc vox interdum habere potest, sed ut significat eum qui diuinitus agnoscitur ea, quæ longe distant à communi sensu hominum, & potens est ea prædicere.

Secundo hæc est communis sententia omnium Patrum, præsertim ubique exponunt locum citatum Deuter. 18. quem tractans August. 16. contra Faust. cap. 18. hæreticam vanitatem appellat, negat de Christo esse intelligendum; & subdit, An quia Prophetæ dictus est, qui & homo esse dignatus est, & tam multa futura prædixit, nisi forte aliud est Prophetæ quam homo ultra humanas coniecturas futura prædicens, &c.

Ambros. Secundo Ambrosius serm. 8. in Psal. 188. circa id, Particeps ego sum, habet, inquit, Christus particeps suos habet particeps carnis, habet & prophetia, quia Prophetam, inquit, suscitabat vobis Dominus, &c. & infra, Ipse est verus Prophetæ, qui sine alterius munere futura cognoscit. Tercio, Cyrillus lib. 8. contra Iulianum in principio dicit, Christum vocari Prophetam à dono prophetiæ, quod in ordine summarum dignitatum humanitatis recensetur, oportebat enim demittentem se humiliauissimam humanitatis subire mensuram. Quarto recte Chrysost. homil. 35. in Ioan. notat, quando Pharisei interrogauerunt Ioannem Baptistam, Prophetæ es tu? non de quocunque, sed de illo excellentissimo à Moysæ prædicto interrogasse, & ideo Græcè addi articulum habentem illam vim, scilicet, Esne tu ille Prophetæ? & ideo Ioannem negasse, & in demonstratione, quod Christus sit Deus, probat contra Iudæos Christum esse prophetam à Moysæ prædictum, & homil. 7. in 2. ad Corinth. dicit Christum esse Prophetam secundum carnem. Quinto, Isidorus libr. 7. originum capit. de Filio Dei, vnum ex nominibus, quæ in Scriptura sacra verè tribuuntur Christo Domino, dicit esse nomen Prophetæ, quia futura reuelauit, & lib. 6. cap. de prophetis, dicit Christum esse finem omnium prophetarum, cui dictum est à Patre, Es Prophetam in gentibus dedi te, Ierem. 1. Sexto, Hieron. tractans hæc verba Ierem. 1. ait. Quidam hunc locum super Salvatore intelligunt, qui proprie Prophetæ gentium fuit, quam expositionem, licet more suo sub aliorum nomine referat, tamen reuera eam probat & confirmat. Denique D. Thom. hic eandem tenet sententiam, & eisdem Verbis Moysis illam confirmat: incredibile enim est, tam grauem, tamque insignem prophetiam de Christo dictam esse sub nomine significante, proprietatem, quæ vere in ipsum non conueniat.

Ierem. 1.
Hieron.
Ierem. 1.

D. Thom.

A Tercio principaliter probatur conclusio ratione, quia licet cognitio Prophetiæ interdum possit esse obscura, non est autem hoc de ratione prophetiæ, quia non oportet quod cognitio prophetica sit fides, vel in illa fundetur, quin potius sæpe tribuitur prophetis, ut ea videant, quæ prædicunt, unde & in scriptura videntes vocantur: & Basil. præfatione in Isai. & Cyril. lib. 3. in Isai. in principio dicunt Prophetas videre futurum tempus tanquam instans, citatur etiam August. in 5. de Ciuitate ca. 9. quod dicat prophetiam esse luce clariorem. Sed eo loco potius videtur dicere luce clariorem esse dari prophetiam veram, quam ipsam prophetiam esse luce clariorem, tamen D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 1. ad 4. ait, per prophetiam tolli obscuritatis & ignorantie velamen, & art. 3. ad 2. distinguit prophetiam à fide, quia fides non dat cognitionem rerum, sed tantum certitudinem, prophetia verò etiam cognitionem tribuit, quod non nisi propter aliquam clariorem, & euidentiam videri dici potest. Denique hoc artic. 8. ad 1. clare negat ænigmaticam cognitionem esse de ratione prophetiæ. Nec verò dicimus euidentiam aut clariorem esse semper necessariam in cognitione prophetica, quia neque hoc verum est, ut ex 2. 2. suppono: sed hoc solum dicimus, prophetiam de se, neque obscuritatem neque clariorem, requirere in cognitione ipsius Prophetiæ, sed sufficere, ut sit cognitio eorum, quæ longe distant à sensibus hominum, & omnino ab ordinaria cognitione viatorum, ut hic dicit D. Thom. qui eodem sensu dixit citato loco 2. 2. nomen Prophetæ de se indicare remotiorem ab intelligibili veritate, non quidem in ipso actu cognitionis, nam potius ibidem subdit prophetiam perfectissimam esse, quæ fit per intellectualem visionem: sed indicat illam elongationem in subiecto ipso, seu in persona, quæ secundum statum suum longe distat ab ipso, quæ præuidet, vel dicit: dicitur enim propheta (inquit D. Thom.) quasi procul fane aut videns: tota autem hæc ratio prophetiæ seu Prophetæ propriissime conuenit in Christum pro statu viæ, qui præuidebat & prædicebat ea, quæ longe distant à cognitione hominum, in huiusmodi statu constitutorum, ergo.

E Ex hac conclusione colligitur primo, hanc cognitionem propheticam in anima Christi re ipsa non fuisse distinctam à cognitione supernaturali, quam per visionem beatam, vel per se infusam de diuinis rebus habuit, quia, ut infra dicemus, non fuit in intellectu humano Christi aliqua supernaturalis cognitio præter hæc duas. Sed quæres, quæ illarum possit hanc denominationem prophetiæ recipere? Quidam sentiunt, solum cognitionem scientiæ infusæ posse proprie vocari prophetiam: tum, quia D. Thom. 2. 2. q. 174. artic. 5. ad 2. dicit Christum simul fuisse comprehensorem & viatorem, & rationem prophetiæ non conuenire illi, ut erat comprehensor, sed ut viator erat, & q. 20. de verit. artic. 6. reddit rationem, quia prophetia est imperfecta participatio visionis beatæ: tum etiam quia ad rationem prophetiæ pertinet, ut possit coniungi phantasmatibus, seu imaginibus sensibilibus, per quas res distantes præsentis fiunt, ut hic D. Thom. significat in secunda responsione ad primum argumentum, & idem sentit super 6. cap. Ioannis lect. 2. in principio ubi dicit Christum non fuisse similem Prophetis in cognitione intellectuā, sed in sententiā: ac verò scientia beata non potest coniungi phantasmatibus, infusa autem potest. Respondetur tamen, verum quidem esse cognitionem scientiæ infusæ posse satis accommodatè hanc denominationem prophetiæ recipere: nihilominus tamen etiam visionem beatam coniunctam statui viatoris sufficere ad rationem prophetiæ, quod plane sentit D. Thom. hic, qui solum requirit in vero Prophetā, ut ea annunciet, & supernaturaliter cognoscat, quæ tam ab ipso secundum

dem statum suum, quam ab alijs longe distat: unde concludit in Christo fuisse prophetiam in quantum simul erat comprehensor & viator: & idem planè sentit in solutionibus argumentorum, & ratio supra facta idem probat: quia scilicet prophetia nullam obscuritatem, vel imperfectionem in ipso actu cognitionis requirit. Nec D. Thom. in 2.2. docet contrarium, sed dicit Christum non fuisse Prophetam, ut comprehensorem, sed ut viatorem, quod hic magis explicuit dicens fuisse Prophetam, ut comprehensorem simul & viatorem, quia licet, dum existeret in via, per ipsammet visionem comprehensoris posset prophetare: tamen illa non habebat rationem prophetiæ, nisi prout existeret in viatore. Illa verò coniunctio ad sensibiles imagines non est de ratione prophetiæ, nam potius eo perfectior est cognitio prophetica, quo est magis abstracta à sensibus & purè intellectualis, ut D. Thom. docuit in 2.2. locis citatis: ut vero hic explicaret habuisse locum in Christo, etiam illum modum prophetiæ, addit eam responsum de sensibilibus similitudinibus.

Secundo sequitur, hoc donum prophetiæ fuisse in Christo permanentem, ita ut quod nunc voluntatis sue possit illo uti, in quo inter alia multum reliquos prophetas superavit. Patet, quia ut dictum est, fundatum fuit in scientia infusa, vel beata. Notavit hoc Hieron. 3. tom. Epist. 125. ad Damasum, de tribus questionibus sacre scripturæ in quaest. 3.

Hieron.

Discretio
in statu in
Christo.

Tertio sequitur etiam fuisse in Christo illam gratiam, quæ dicitur discretio spirituum, quæ veluti quædam prophetiæ pars est: quia vel significat vim cognoscendi & manifestandi interiores cogitationes mentium, vel saltim discernendi, & iudicandi ex instinctu Spiritus sancti inter motionem boni, & mali Spiritus, ut Chrysostom. homil. 19. in 1. ad Corinth. & Anselm. 1. Corinth. 12. & ibi Occum. D. Thom. & alij. Verò; autem modo potuit Christus per suam scientiam creatam discernere spiritus, ut per se constat, & dicitur inferius q. 10. & 11. Et patet ex illo Ioan. 3. Opus ei non erat, ut quia testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Et eadem ratione constat, quamcumque aliam gratiā explicatam in ordine ad cognitionem, quæ obscuritatem non includat, perfectissime in Christum convenire, ut si interpretatio sermonum explicetur, ut sit vis quædam, & lux Spiritus sancti ad penetrandos veros & intimos Scripturarum sensus, & idem est de dono scientiæ & sapientiæ, si aliquo modo ad cognitionem referantur. De gratia autem fidei statim dicitur.

Quo sensu
prophetia
in patria
evacuatur.

Ad fundamentum Abulensis respondetur primo, in illo loco. 1. ad Cor. 13. prophetiam non significare donum prædicendi futura, sed interpretandi sermones, seu Scripturam sacram, ut patet ex toto contextu capitis 14. Sed esto hoc ita sit, eadem manebit difficultas de hac gratia interpretandi sermones, quæ etiam fuit in Christo. Respondetur ergo utramque gratiam evacuari in patria quantum ad imperfectionem quam includit, & quantum ad necessitatem: quia hæc munera sunt accommodata statui viæ, sicut ibidem dicitur. Siue lingua cessabit, siue scientia destruetur, & tamen non propterea negandum est Christum habuisse donum linguarum. Illud verò quod ibi dicitur, scilicet nunc ex parte nos prophetare, verum quidem est regulariter in hominibus, non est tamen illa imperfectio de ratione prophetiæ. Ad primam confirmationem responsum iam est, negando obscuritatem esse de ratione prophetiæ. Ad secundam confirmationem respondetur prophetiæ donum dicere cognitionem supernaturalis eorum, quæ distant secundum statum cognoscentis, & ideo eandem cognitionem in statu viæ, in quo Christus secundum conditionem corporis sensibilis distabat ab ijs, quæ diuinitus cogno-

scibat, habuisse rationem prophetiæ, in statu vero patriæ non habere hanc rationem, quia deficit illi imperfectio connotata ex parte subiecti. Ita D. Thom. 2.2. q. 174. art. 5. in corpore, & ad 3. Et hoc potest esse aliud exemplum ad comprobandum id, quod supra dicebamus, scilicet eundem habitum, qui secundum se eiusdem rationis est, posse in vno statu recipere vnam denominationem quam non recipit in alio propter imperfectionem connotatam. Ad ultimum respondetur, etiam Christum fuisse plusquam Prophetam multo altiori modo, quam Ioannem Baptistam, sed non ideo non fuisse etiam Prophetam, sicut etiam Ioannes Baptista fuit Prophetam, licet etiam fuerit plusquam Prophetam.

D. Thom.

D. Thom.
Damas.Omnes
gratiæ gratiæ
eis data sunt
in Christo.
D. Thom.
Aug. 1.
Chrysost.

Ephes. 4.

Sermo solus
sua, & sapientia.

Luc. 4.

Ioan. 6.

& cap. 7.

SECTIO II.

Utrum alie gratie gratis date, quæ ad sermonem spectant, fuerint in Christo.

Ratio dubij esse potest, quia vna ex his gratijs vocatur fides, quæ in Christo non fuit. Alia gratia est donum linguarum, quo Christum nunquam fuisse vsum docet D. Thom. hic artic. 7. ad 3. & 2.2. q. 176. artic. 1. ad 3. quem Durandus sequitur in 3. d. 13. q. 1. ad 2. cum autem hæc gratiæ potissimum connotant in vsum, perinde videtur esse negare Christum habuisse hanc gratiam, & negare habuisse vsum illius.

Dico tamen primo, Christum Dominum habuisse omnes gratias gratis datas, quæ alijs hominibus communicantur. Ita docet hic D. Thom. & reliqui Theologi cum Magistro in 3. d. 13. & id colligunt ex Aug. epist. 57. circa finem, ubi dicit, sicut in capite omnes sentus, ita in Christo vigere omnem gratiam. Ex quo idem mutauit & docuit Anselm. in id ad Coloss. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ. Et ad hunc modum videtur exponere plenitudinem gratiæ Christi Chrysost. homil. 11. in Ioan. Et clarius homil. 20. in id Ioan. 3. Non ad mensuram dat Deus Spiritum filio. Et potest rectè inde concludi: quia ad plenitudinem gratiæ Christi hæc omnia spectant, omnia enim hæc debentur illi humanitati, ob gratiam vniionis. Pertinuit etiam hoc ad dignitatē seu munera Christi obeunda, est enim ipse quasi vniuersalis dispensator harum gratiarum omnium in Ecclesia sua, ut dicitur ad Ephes. 4. debuit ergo in se habere omnes gratias, quas alijs communicat. Deinde fuit vniuersalis ac perfectissimus Doctor, & Euangelij prædicator: hæc autem gratiæ sunt vel necessaria, vel certè conuenientissima, ornamenta in perfecto doctore requisita, in quo præter exactam rerum intelligentiam facultas ad explicanda, & clare ac distinctè proponenda mysteria, eaque suadenda, & confirmanda, necessaria est, & ad hunc finem ordinantur hæc gratiæ.

Vnde secundo probatur conclusio discurrendo breuiter per alias quatuor, vel quinque gratias, quæ explicanda & supersunt. Dux illarum sunt, Sermo scientiæ & sapientiæ, quæ ad sermonem applicatæ nihil aliud sunt, quam facilitas quædam ex speciali Spiritus sancti auxilio data ad proponendas seu explicandas res fidei, vel delectando, vel persuadendo eas per superiores aut inferiores causas, aut per effectus, & similia exempla confirmando & declarando, quæ dona fuisse in Christo perfectissima dubitari non potest, cum imperfectionem nullam includant, & ad perfectionem & statum eius maxime pertineant: cum fuerit supremus celestis doctrine magister. Et ideo de illo dicitur Corin. 1. 5. habet gustus suauissimum, & labia distillantia myrrham primam, & Psal. 44. de illo dicitur, Diffusa est gratia in labijs tuis. Quæ quidē gratia ita in verbis, & doctrina eius maxime relucebat, ut non immerito homines mirarentur, De his, quæ procedebant de ore ipsius. Luc. 4. & ideo Io. 6. Petr. dixerit, Quo istius? Verba viua & æterna habes & cap. 7.

Luc. 4.

Ioan. 6.

& cap. 7.

& cap. 7. etiam eius hostes dicebant. Nunquam sic locutus est homo.

Gratia fidei. Tertia est gratia fidei, quæ interdum solet referri ad operationem, quomodo magis videtur pertinere ad potestatem faciendi miracula, dicitur enim hæc fides miraculorum, quæ ut dicit assensum obsecrurum, non fuit in Christo, tamen fuit in illo ex parte intellectus clarus & indubitatus assensus, speciale Dei auxilium non fuisse defuturum sue humanitati ad omnia miracula, quæ faciebat, & de eadem re habebat perfectissimam fiduciam ex parte voluntatis. Vnde Ioan. 11. dicebat ad Patrem, Gratias ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis, hoc ergo modo fuit in illo hæc gratia. Secundò solet hæc gratia referri ad cognitionem, ut scilicet significet singularem certitudinem & intelligentiam rerum fidei, quam Spiritus sanctus præbet Doctori Evangelico, ut possit convenienter docere, & ut hoc modo hæc gratia locum habeat in Christo, subtrahenda est ab obscuritate, ita ut de ratione eius tunc sit perfectio, & firmitas in assensu, siue ille clarus sit, siue obscurus. Tertiò verò modo explicatur hæc gratia in ordine ad sermonem seu locutionem, & est facilitas quædam data dono Spiritus sancti ad proponendas res fidei simpliciter & accommodatè, ita ut etiam arudibus & ignorantibus percipi possint, & in hoc sensu multo facilius constat habuisse Christum hanc gratiam.

Donum linguarum.
D. Thom.

Quarta gratia est donum linguarum, ad quam primum pertinere potest habere noticiam linguarum omnium, & quoad hoc fuisse in Christo D. Thomas supra docet, nec dubitari potest, eum per scientiam infusam & beatam habuerit noticiam rerum omnium, quamquam hoc iuxta aliorum sententiam magis pertineat ad quintam gratiam, quæ dicitur interpretatio sermonum. Deinde pertinet ad donum linguarum potestas utendi linguis omnibus, quæ diuersa aliquo modo est à priori noticia, multi enim intelligunt linguam aliquam qui illa uti non possunt, hæc ergo potestas sine dubio etiam fuit in Christo, quia scientia linguarum quam habebat, erat perfectissima, & ipsa organum, & facultas naturalis ad loquendum, etiam erant in illo perfecta, & expedita. Ex his autem duobus principiis oritur illa potestas. Tertiò pertinet ad hanc gratiam usus ipse diuersarum linguarum, & de hoc nihil videtur esse certum: verisimile tamen est, publicè & pro concione non fuisse vsum hoc dono, quia ex Evangelio hoc non colligitur, sed potius oppositum, tunc quia hoc donum omnino nouum visum est in predicatione Apostolorum: tunc etiam quia ipse Christus de se dixit, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel, cum ergo solis Iudæis per se ipsum prædicaturus esset, solum ea lingua pro concione usus creditur, quæ ipsi tunc utebantur, quæ dicitur fuisse Syriaca, si aliqua autem erat varietas in illis partibus vel ciuitatibus quas perambulabat, omnibus se accommodabat Christus, ita ut posset intelligi, hoc enim erat necessarium. Et ita est intelligenda sententia D. Thom. hic artic. 7. ad 3. & 2. quæst. 176. artic. 1. ad 1. quam sequitur Durandus in 3. distinct. 13. q. 1. ad 1. In priuatis autem colloquijs fortasse interdum sese obtulit opportunitas utendi varijs linguis, ut eum peregrinatus est in Aegyptum, vel cum ad Gentiles loquebatur, vel si fortasse scripsit Epistolam ad aliquem alienæ linguæ, ut de Abgaro fertur.

Interpretatio sermonum.

Hinc constat, quid dicendum sit de quinta gratia, scilicet interpretatione sermonum, ad sermonem relata, hoc enim modo vel est intelligentia variarum linguarum, de qua dictum est, vel est singulare Spiritus sancti auxilium, vel ad condendam diuinam scripturam vel ad reconditos eius sensus explicandos, vel etiam ad transferendum ab una lingua in aliam, nihil omnino à vero sensu discrepando, & hoc

donum quoad facultatem & potestatem non est dubium, quin in Christo fuerit, tum propter scientiæ plenitudinem & voluntatis rectitudinem, quæ ad malum vel falsum inclinari non poterat, tum etiam quia in omnibus operibus & actionibus suis ab Spiritu sancto regebatur, vnde omnia verba eius verba sacra sunt, an vero usus fuerit hac gratia aliquid scribendo, dicitur fortasse infra quæst. 42.

Dico secundò, hæc gratias fuisse in Christo permanentes & per modum habitus, ita ut illis uti posset suo arbitrio, in quo alios homines superauit. Ita colligitur ex Theologis & Patribus supra citatis præsertim exponentibus verba Isaie. 11. Requiesce super eum spiritus Domini, & Ioan. 1. Super quem videtur spiritum descendentem, & manentem, circa quem locum videri potest Orig. hom. 6. in Numer. & Greg. lib. 2. Moral. c. 28. & 29. & Hieron. ep. 125. ad Damasum, & Ezech. 35. Ratio verò facile reddi potest, tum quia totum hoc personali dignitati Christi, & muneri eximij doctoris debebatur, tum etiam quia ad vsum harum gratiarum ferè nihil aliud requirebatur præter perfectam scientiam rerum omnium, verborum & signorum, cum perfecta & expedita facultate utendi organo vocis & linguæ, utrumque autem horum fuit in Christo perfectissimum.

ARTICVLVS IX.

a. Vtrum in Christo fuerit plenitudo gratiæ.

¶ Nonum sic proceditur. Videtur quod non fuerit in Christo gratia plenitudo. Gratia enim derivatur virtutes, ut in secunda parte dictum est. Sed in Christo non fuerunt omnes virtutes: non enim fuit in eo fides neque spes, ut ostensum est, ergo in Christo non fuit gratia plenitudo.

2. Præterea, sicut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt, gratia diuiditur in operantem & cooperantem: Operans autem gratia dicitur, per quam iustus autem impius. Quod quidem non habuit locum in Christo, quia nunquam subiacebat alicui peccato: ergo in Christo non fuit plenitudo gratiæ.

3. Præterea, Iacob 1. dicitur, Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum: Sed quod descendit, habetur particulariter & non plene. Ergo nulla creatura, nec etiam anima Christi potest habere plenitudinem donorum gratiæ.

Sed contra est quod dicitur Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratia & veritate.

¶ Respondeo dicendum, quod plene dicitur haberi quod perfecte & totaliter habetur. Totalis autem perfectio potest attendi dupliciter. Vno modo quantum ad quantitatem eius intensiuam: puta si dicam aliquem plene habere albedinem, si habet eam, quantumcunque nata est haberi. Alio modo secundum virtutem: puta si aliquis dicatur plene habere vitam: quia habet eam secundum omnes effectus vel opera vite, & sic habet plene vitam homo, non autem brutum animal, vel planta. Vtroque autem modo Christus habuit gratia plenitudinem. Primo quidem quia habuit eam in summo secundum perfectissimum modum, quo haberi potest. Et hoc quidem apparet primò ex propinquitate anime Christi ad causam gratiæ, dictum est enim quod quando aliquod receptum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi, quæ propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiæ eius. Secundò ex comparatione eius ad effectum. Sic enim recipiebat anima Christi gratiam, ut ex ea quod modo transfunderetur in alios. Et ideo oportuit quod haberet maximam gratiam, sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus. Similiter etiam quan-